



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

**Parisiis, 1644**

Concilivm Romanvm II. Svb Silvestro Papa Primo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15072**

ANNO CHRISTI 324. **CONCILIVM ROMANVM II.**  
SVB SILVESTRO PAPA PRIMO.

**EPILOGVS BREVIS SEQVENTIS**  
*Concilii Romani.*

**T**EMPORIBVS sancti Siluestri Papæ, & Constantini piissimi Augusti, factum est magnum Concilium in Nicæa Bithyniæ, & congregati sunt regulariter eiusdem Siluestri Papæ vocatione in idipsum trecenti decem & octo Episcopi Catholici, qui exposuerunt fidem integram, Catholicam, immaculatam, & damnauerunt Arium, Photinum, Sabelliumque, atque sequaces eorum. Eodem quoque tempore, & 13. Kal. Iuliarum die, quando memoratum Concilium magnum in Nicæa congregatum est, canonica iam facta Papæ vocatione in urbem Romam congregauit & ipse, cum consilio præfati Constantini Augusti, ducentos sexaginta septem Episcopos, & damnauit iterum tam Callistum, quam Arium, & Photinum, atque Sabellium, & constituit vt presbyterum Arianum respicientem nemo susciperet, nisi Episcopus eiusdem loci eum recõciliaret, & sacrosancto chrismate, per episcopalis manus impositione, sancti Spiritus gratia, quæ ab hæreticis dari non potest, confirmaret. In qua & consensu & subscriptione omnium constitutum est, vt nullus laicus crimen clerico audeat inferre. Et vt presbyter non aduersus Episcopum, non diaconus aduersus presbyterum, non subdiaconus aduersus diaconum, non acolythus aduersus subdiaconum, non exorcista aduersus acolythum, non lector aduersus exorcistam, non ostiarius aduersus lectorem det accusationem aliquam. Et non damnabitur præsul, nisi in 72. testibus. Neque præsul summus a quoquam iudicabitur, quoniam scriptum est: *Non est discipulus super magistrum.* Presbyter autem Cardinalis, nisi quadraginta quatuor testibus non damnabitur. Diaconus cardinarius constitutus vrbs Romæ, nisi in 26. non damnabitur. Subdiaconus, acolythus, exor-

\* factus  
Papa.

\*84. \*77.

2. quest. 7.  
Nullus laicus.

Item 2. q. 7.  
Clericus aduersus exorcistam.

2. quest. 5.  
Præsul.

Luc. 6. 64.

\*37.

Concil. Tom. 2.

T



cista, lector, ostiarius, nisi (sicut scriptum est) in septem  
testibus non damnabitur. Testes autem & accusatores si-  
ne aliqua sint infamia, vxores & filios habentes, & omni-  
no Christum prædicantes. Testimonium \* laici aduersus clericum  
nemo recipiat. Nemo enim clericum quemlibet in publico examinare præsumat,  
nisi in Ecclesia. Nemo enim clericus, vel diaconus, aut presbyter, propter  
quamlibet causam intret in curiam, nec ante iudicem cin-  
ctum causam dicere præsumat: quoniam omnis curia a  
cruore dicitur, & \* immolatione simulacrorum. Et si quis clericus,  
accusans clericum, in curiam introiuerit, anathema suscipiat. Hic inter cetera prædicta omnium \* con-  
sultu constituit in Synodo, vt sacrificium altaris non in se-  
rico panno aut tincto quispiam celebrare præsumeret,  
sed in puro lineo ab Episcopo consecrato, terreno scilicet  
lino procreato atque contexto, sicut corpus Domini nostri Iesu Christi  
in sindone munda sepultum fuit. Et si quis desideraret in Ecclesia militare,  
aut proficere; vt esset prius ostiarius, deinde lector, & postea exorcista,  
per tempora quæ Episcopus constituerit, deinde acolythus annis  
quinque, subdiaconus quinque annis, custos martyrum annis  
tribus, probatus ex omni parte in tantum, vt etiam ab his,  
qui foris sunt, testimonium habeat bonum, vnus videlicet vxoris vir,  
quæ tamen a sacerdote sit benedicta. Et si probatus fuerit dignus,  
& vota populi & cleri concurrerint, canonice Episcopus consecratur,  
quem postea nec clericus, nec populus perturbare debet: quia Episcopi,  
qui throni Dei vocantur, non sunt lacerandi, sed magis portandi & venerandi.  
De quibus ait B. Paulus Apostolus: *Seniorem ne increpaueris, sed vt patrem obsecra.*  
Legimus namque, ipso Domino dicente, non esse discipulum super magistrum,  
hoc est non sibi debere quemquam, ad iniuriam doctorum, vindicare doctrinam,  
nec aliqua machinatione Domini discipulis, id est, Apostolorum successoribus  
detrahere, aut eos infamare; quia iniuria doctorum ad Christum pertinet,  
cuius vice legatione funguntur. Qualiter enim Dominum contristent,  
qui hoc agere præsumunt, \* Dominus in euangelio testatur. Ait enim ipse Saluator,  
quod expediat scandalizanti vnum

ANNO  
CHRISTI  
324.\* clerici  
aduersus  
laicum n  
q. 1. Testi-  
mon. cle-  
rici ad.\* immo-  
lato si-  
mulacro-  
rum est.  
\* conse-  
crato om-  
nium.De conse-  
diti. 1.

Matth. 27.

1. Tim. 3.

1. Tim. 5.

Luc. 6.

Matth. 18.

\* q  
que  
am\* Domi-  
nicus fuit.



ANNO CHRISTI 324.  
 de pusillis istis, in maris profunda demergi, & molam a-  
 finariam collo eius suspendi. Si talis ergo pœna Domini  
 discipulos scandalizantibus hic promittitur, quid in futu-  
 ro eis prouenire debeat, summopere pensandum est; quo-  
 niam non parum periculi illis manere poterit ante Deum,  
 qui hæc detrectant suis exhibere ministris. Quod ita de-  
 mum probari poterit, si Deum timeant, qui talia exerce-  
 re minime formidant, si imposito sibi improbo silen-  
 tio, a talibus se deinceps custodiant: quia nihil prodest  
 homini reliqua bona agere, nisi mens ab iniquitate reuo-  
 cetur, & ab obtretationibus lingua cohibeatur. Vnde  
 ait Propheta: *Cobibe linguam tuam a malo, & labia tua ne* Psal. 33.  
*loquantur dolum. Diuerte a malo, & fac bonum.* Nemo e-  
 nim bonum faciens, alteri verbo aut facto nocere vult.  
 Et reliqua. Hic in memorata Synodo constituit om-  
 nium cum consensu, vt nullus presbyter Missas celebra-  
 re præsumat, nisi in sacratibus ab Episcopo locis, qui sui par-  
 ticeps de cetero voluerit esse sacerdotii. Et pietatis affe-  
 ctu hic sanctissimus Papa sub gesta synodica reuocauit A-  
 postolica auctoritate multos ab aliis Episcopis excom-  
 municatos, & a tyrannis eieptos, ad communionem, &  
 restituit eos in Ecclesiis, quibus fuerant olim instituti,  
 sub satisfactione libelli, atque purgatos eos recepit, dans  
 exempla futuris eruendi sacerdotes de persequentium  
 manibus. Constituit etiam, nulla ratione transmarinum  
 hominem penes nos in clericatus gradu suscipi, nisi <sup>\*</sup> quin-  
 que Episcoporum designatus sit chirographis.

De conf.  
 dist. 1. Nul-  
 lus presby-  
 ter Missas.

98. distinct.  
 Nullus ali-  
 qua ratio-  
 ne.

\* quin-  
 que & eo  
 amplius.



*Præmonitio ad lectorem, in sequentem Synodum.*

Ex duobus vetustis exemplaribus Canones sequentes descripti sunt ad verbum, qui multis in locis ob exemplarium depravationem aut vix, aut omnino non possunt intelligi. Lector boni consulat, & si quid potest habere certius, communicet.

C A N O N  
V E L  
C O N S T I T V T I O S I L V E S T R I  
E P I S C O P I V R B I S R O M Æ,  
E T  
D O M I N I C O N S T A N T I N I A V G V S T I,  
Q U A L I T E R E C C L E S I A S T I C I G R A D V S  
c u s t o d i a n t u r, v e l r e l i g i o.

## TITVLI CANONVM.

- |  |  |
|--|--|
| I. De congregatione Episcoporum, vel diaconorum.   | XI. Vt nullus ex laica persona ab honore acolythi vsque ad episcopatum eleuetur, nisi per singulos gradus. |
| II. De condemnatione Callisti, Victorini, Hippolyti.                                     | XII. Nemo det penitentiam, nisi quadraginta annorum.   |
| III. Per singulos gradus, vt nullus crimen obiciat.                                      | XIII. De mysterio quodam.  |
| IV. Vt de redditibus Ecclesia quatuor partes fiant.                                      | XIV. Testimonium clerici aduersus laicum nemo recipiat.  |
| V. Vt nullus presbyter chrisma conficiat.  | XV. Nemo clericum in publico examinet.   |
| VI. De diaconis paræciarum, & diaconis cardinalibus vrbis Romæ.                          | XVI. Vt nullus clericus vel diaconus aut presbyter, propter causam suam intret curiam.                     |
| VII. Vt a subdiacono vsque ad lectorem, omnes subditi sint diacono cardinali vrbis Romæ. | XVII. Vt nullus peccantem clericum cade attingat.  |
| VIII. Vt nullus subdiaconus ad nuptias transeat.   | XVIII. Vt nullus diaconus aduersus presbyterum crimen afferat.   |
| IX. Nullus lector, nullus acolythus vasa sacrata contingat.                              | XIX. Vt nullus presbyter a die presbyterii sumat coniugium.  |
| X. Nullus Episcopus virginem sacratam maritali consortio benedicat.                      | XX. Vt nullus diiudicet primam sedem iustitiæ.   |



## ACTIO PRIMA.

## EDITIO I.

## CAPVT I.

CANONVM constitutio, gradus vel religio qualiter custodiat, a Siluestro Episcopo vr̄bis Romæ, domino Constantino. Eodem tempore cum multi nobiles gauderent, quod Constantinus baptizatus a Siluestro Episcopo vr̄bis Romæ, & mundatus fuisset a lepra, pro beneficio quod accepit a Domino nostro Iesu Christo, per Siluestrum Episcopum, cœpit integre prædicare Dominum Iesum Christum, & confiteri eius beneficia. Silvester igitur Episcopus vr̄bis Romæ congregans fratres compresbyteros & coepiscopos vel diaconos suos, ciues Romanos, & quoniam mater Ecclesia genuerat filium carissimum Constantinum. Integre igitur Silvester Episcopus vr̄bis Romæ suis cum ordinare desiderat, & filios eius frequenter lactare, & gradus eius ordinis & consuetudinis cõsternere. Collegit autem vniuersam Synodum Episcoporum cum consilio Augusti vel matris eius, & fecit parare in vr̄be Roma in thermas Domi-

## EDITIO II.

## CAPVT I.

EODEM tempore cum multi nobiles gauderent quod Constantinus baptizatus a Siluestro vr̄bis Romæ, & mundatus fuisset a lepra, per hoc beneficium quod accepit a Domino Iesu Christo per Siluestrum Episcopum, cœpit integre prædicare Dominum Iesum Christum, & confiteri eius beneficia. Silvester igitur Episcopus vr̄bis Romæ congregans fratres compresbyteros & coepiscopos, vel diaconos suos ciues Romanos. Et quoniam mater Ecclesia genuerat filium carissimum Constantinum, igitur Silvester Episcopus vr̄bis Romæ cum suis eam ordinare desiderauit, & filios eius frequenter lactare, & gradus eius ordinis & consuetudines cõsternere. Collegit autem vniuersam Synodum Episcoporum cum consilio Augusti vel matris eius, & fecit parari in vr̄be Roma intra thermas Domitianas, quæ nunc cognominantur Traianæ. Collegit autem in gremio sedis suæ ducetos octogintaquatuor Episcopos, quibus Augu-



tianas, quæ nunc cognominantur Traianæ. Collegit autem in gremio sedis suæ 284. Episcopos, quibus Augustus Constantinus vehicula vel annonas omni loco præstari præcepit, & alii 57. Episcopi patris Rinocororis, quorum cyrographus in eorum Concilio declaratur, & 62. presbyteri vrbis Romæ, & diacones acolythi eius consilio facti, exorcistæ 22. lectores vrbis Romæ 90. quorum præsentibus audiebatur. Notarii Ecclesiæ 14. qui gesta diuersorum martyrum suscipientes, ordine renarrabant. Hos omnes etiam dum vno examen articulo sanctitatis colligeret in thermas suprascriptas, ita vero, vt nemo laicorum præesse videretur.

stus Constantinus vehicula & annonas præstari præcepit, & alii 57. Episcopi patris Rinocororis, quorum cyrographus in eorum Concilio declaratur, centum quadragintaduo presbyteri vrbis Romæ, & diacones 6. subdiacones 6. acolythi eius Concilio facti quadragintaquinque, exorcistæ 22. lectores vrbis Romæ nonaginta, quorum præsentibus parentes audiebant. Notarii Ecclesiæ 14. qui gesta diuersorum martyrum suscipientes, ordinare narrabant. Hos omnes etiam dum vno examen articulo sanctitatis colligeret in thermas suprascriptas, ita vero, vt nullus laicorum præfens videretur.

*Sequuntur 139. Episcopi ex vrbe Roma, vel non longe ab illa.*

Castus, Cyprus, Petrus, Abundius, Seuerinus, Lucianus, Capax, Herculanus, Ioannes, Himilus, Andreas, Petrus, Renouatus, Cresconius, Ambrosius, Lucas, Hermogenianus, Augustus, Felix, Barbarus, Secundinus, Citonatus, Reparatus, Gaudentius, Sebastianus, Græces, alias Cresces; Rénatus, Hirenæus, Laurentius, Valerianus, Borudorus, Leo, Abundantius, Almachus, Honestus, Victor, Plenus, Delphinus, Amabilis, Paulus, Constantius, Sixtus, Concordius, Nepotianus, Bedandulus, Deutherius, Amabilis, Syrus, Quadratus, Mirabilis, Audacius, Turcilianus, Ioannes, Marcus, Fidelis, Symmachus, Probianus, Afellus, Crispinus, Rusticus, Faustus, Turdus, Maiorianus, Iobianus, Exonofus, Sanctulus, Coricosus, Nepus, Tiburtius, Petrus, Syluestrianus, Turturanus, Leontius, Anastasius, Agapitus, Verustimilus, Afellus, Iacobus, Felicissimus, Quadratus, Alexander, Philippus, Exuperantius, Hypolitus, Iordianus, Archidamus, Lollius, Martialis, Caritosus, Concordius, Ianuarius, Felicianus, Redus, Auxibus, Timotheus, Bo-



ANNO CHRISTI 324.  
 nifacius, Tranquillinus, Calbulus, Sixtus, Catellus, Epiphanes, Victor, Habet Deum, Contentus, Apronianus, Probus, Repostibus, Paulus, Fidelissimus, Homobonus, Luminosus, Vitalis, Carpilio, Volufianus, Petrus, Probinus, Honestofus, Ariston, Bacanda, Petrus, Marinus, Priscillianus, Carito, Gattus, Ianuarius, Cæcilius, Epiphanius, Laurentius, Humanianus, Vrbanus, Micinus, Cæcilius, Priscus, Tiburtius, Nonnonus, Anthimus, Agapitus, Vindemius.

*Ex Græcia autem isti sunt.*

Petrus, Anastasius, Hermes, Nicostratus, Quod vult Deus, Vitalis, Rénatus, Vinulus, Andriphorus, Hirenæus, Olympius, Demeter, Theodolus, Anastasius, Thespianus, Firminus, Cleopatra, Honorius, Simplex, Exitiosus, Ioannes, Timotheus, Hermes, Paulus, Metronius, Stephanus, Alexander, Constantinus, Andreas, Exuperantius, Firmus, Quirillianus, Anastasius, Hermogenius, Seuerus, Aconcius, Thomas, Ioannes, Cæcilianus, Theodolus, Theophilus, Prispilius, Festus, Almacus, Andecius, Concordius, Deutherinnus, Thomas, Quadratus, Timotheus, Potestas, Andreas, Philippus, Thomas, Victorinus, Seuerianus, Domanicus, Eulogius, Demeter, Nepotianus, Albinus, Petrus, Ioannes, Exuperius, Theodolus, Ioannes, Exuperantius, Sebastianus, Theodorus, Claudius, Demetrianus, Rufinus, Spes in Deo, Reparatus, Petrus, Afellus, Archanus, Eufemius, Crisolatus, Lazarus, Leo, Anthimus, Andreas, Catharon, Vultibus, Anastasius, Hermes, Semperuius, Titus, Orifensis, Epiphanius, Anastasius, Leo, Vltius, Fortunatus, Cæcilianus, Nicostratus, Audax, Ioannes, Rufinus, Honorius, Felix, Petronius, Andreas, Requisitus, Bacanda, Terfilius, Zenon, Caritofus, Maioranus, Leo, Hermes, Demeter, Andreas, Spes in Deo, Timotheus, Iacobus, Zenon, Quadratus, Fusilis, Marcus, Paulinus, Oyfensis, Concordius, Priscus, Herculanus, Leoninus, Androtilus, Eufimius, Squire, Martinus, Anastasius.

<p>Dum hi omnes venissent in Synodum, &amp; alii, quorum cyrographus cucurrit, &amp; opinio sanctitatis, sederunt in eadem aspectu thermarum supradictarum. Presbyteri autem Romani omnes, &amp; diaconi, clerusque vel gradus sequentes ad terga Episcoporum steterunt. Nemo enim sedit in eodem loco, nisi tantum Epi-</p>	<p>Dum hi omnes venissent in Synodum, &amp; aliquorum cyrographus cucurrit, &amp; opinio sanctitatis, &amp; sederunt in eodem aspectu thermarum supradictarum. Presbyteri autem Romani omnes, diaconi, clerusque vel gradus sequentes, a tergo Episcoporum steterunt. Nemo enim sedit in eodem loco, nisi tantum Episcopi, &amp;</p>
--	--



scopi, & Siluester Episcopus, Pontifex vrbis Romæ. Erat enim ibi & Calphurnius, qui primo gentilis, & postea Christianus, præfectus vrbis. Dicit autem Siluester Episcopus vrbis Romæ rationem hanc: Audite me fratres & coepiscopi, & vniuersus ordo Ecclesiæ Romanæ, quoniam bonum est, vt fixas cortinas habeat Ecclesia, vt regia Ecclesiæ non vaticinentur, sed sit firma, & claudat ostium propter persecutorem, & habeat firmum murum, vnde expugnet aduersarios.

## CAPVT II.

Cognitum loquor, & probo Calistum & Victorinum, qui arbitrio suo fecerunt creaturam, & Iovinianum, qui in sua extollentia dicebat, non Pascha venire die suo, nec mensẽ, sed decimo Kalendaras Maii custodire. Ego enim (sicut lex memorat) in vestro iudicio commendo sermonem, vt introducantur hi tres quidem primo arbitrio Calisti damnari corroboretur examen, qui se Calistus ita docuit Sabellianum, vt arbitrio suo sumat vnam personam esse Trinitatis. Non enim coæquante Patre & Filio & Spiritu sancto Vi-

Siluester Episcopus, Pontifex vrbis Romæ. Erat enim ibi & Calphurnius, qui primo gentilis, & postea Christianus, & præfectus vrbis. Dicit autem Siluester Episcopus vrbis Romæ rationem hanc: Audite me, fratres & coepiscopi, & vniuersus ordo Ecclesiæ Romanæ: Quoniam bonum est, vt fixas cortinas habeat Ecclesia, vt regia Ecclesiæ non vacilletur, sed sit firma, & claudat ostium propter persecutorem, & habeat firmum murum, vnde expugnet aduersarios.

## CAPVT II.

Cognitum loquor, & probo Calestum & Victorinũ, qui arbitrio suo fecerunt creaturam, & Iouianum, qui in sua extollentia dicebat, non Pascha venire die suo, nec mensẽ, sed 10. Kal. Maii custodire. Ego enim sicut lex memorat, in vestro iudicio commendo sermonẽ, vt introducantur hi tres quidem primo arbitrio Calistus dånari corroboretur examen, qui se Calistum ita docuit Sabellianum, vt arbitrio suo sumat vnam personam esse Trinitatis. Non enim coæquante Patre & Filium & Spiritu sancto. Victorino itaque præcipue præful regionis antistes, qui



ANNO  
CHRISTI  
324.

Victorinum ita præcipue religionis antistitis, qui in sua ferocitate, quidquid vellet, affirmabat hominibus, & cyclos Paschæ pronuntiabat fallaces, vt hoc quod constituit decimo Kalendas Maii custodiri, vestro sermone, sicut veritas habet, cessetur, & vestro iudicio condemnentur, & filiorum nostrorum Augustorum præcurrat auctoritas ad condemnandum Victorinum Episcopum. Damnauit autem Hippolytum diaconum Valentinianistam, & Calistum, qui in sua extollentia separabat Trinitatem, & Victorinum Episcopum, qui ignorans lunæ rationem, sub arbitrio sui tenacitate derumpebat veritatem, & præsentia Episcoporum supradictorum & presbyterorum damnabit Hippolytum, Victorinum, Calixtum, & dedit eis anathema, & damnauit eos extra vrbes suas.

CAPVT III.

Postea autem fecit gradus in gremio Synodi, vt non presbyter aduersus Episcopum, non diaconus aduersus presbyterum, non subdiaconus aduersus diaconum, non exorcista aduersus acolythum, non lector aduersus exorcistam,

*Concil. Tom. 2.*

in sua ferocitate quidquid vellet hominibus, & cyclos Paschæ pronuntiabat fallaces, vt hoc quod constituit 10. Kal. Maii custodiri, vestro sermone, sicut veritas habet, cessetur, & vestro iudicio condemnentur, & filiorum nostrorum præcurrat auctoritas condemnandum Victorinum Episcopum. Et introierunt omnes, vt suo sermone damnarentur in iudicio. Dānauit autem Hipolitum diaconum Valentinianistam, & Calistum, qui in sua extollentia separabat Trinitatem, & Victorinum Episcopum, qui ignorans lunæ rationem sub arbitrio sui tenacitate derumpebat veritatem. Et præsentia Episcoporum supradictorum & presbyterorum, aliorumque graduum, damnauit Hipolitum, Victorinum & Calistum. Et dedit eis anathema, & damnauit eos extra vrbes suas.

CAPVT III.

Postea autem fecit gradus in medio Synodi, vt non presbyter aduersus Episcopum, non diaconus aduersus presbyterum, non subdiaconus aduersus diaconum, non acolythus aduersus subdiaconum, non exorcista aduersus acoly-

V



non ostiarius aduersus lectorem det accusationem aliquam, & non damnabitur præful, nisi in septuaginta duobus; neque præful summus a quoquam iudicabitur, quoniam his scriptum est: *Non est discipulus super magistrum.* Presbyter autem nisi in quadraginta quatuor testimonia non damnabitur. Diaconus autem cardine constrictus vrbis Romæ, nisi in triginta sex, non condemnabitur. Subdiaconus, acolythus, exorcista, lector, nisi (sicut scriptum est) in septem testimonia filios & vxorem habentes, omnino Christum prædicantes, sicut datur mystica veritas.

## CAPVT IV.

Commoneo autem vestrum consortes monimentum de redivibus Ecclesiæ quatuor partes fiant, & quod primam partem exigat Ecclesia, vnam partem Pontifici cum fratribus releuandis, dimidiam Ecclesiæ, dimidiam presbyteris & diaconibus cum omni clero, vel peregrinis constituit hunc ordinem, vt si quis de clero vel presbyteris vniuersi loci, quod commune est, transire de hoc mundo, & si neminem

thum, non lector aduersus exorcistam, non ostiarius aduersus lectorem, non laicus det accusationem aliquam. Et non damnabitur præful nisi in septuaginta duobus, neque præful summus a quoquam iudicabitur, quoniam scriptum est: *Non est discipulus super magistrum.* Presbyter autem, nisi in quadraginta quatuor testimoniis non damnabitur. Diaconus autem cardine constructus vrbis, nisi in 36. non condénabitur. Subdiaconus, acolythus, exorcista, lector, nisi (sicut scriptum est) in septem testimoniis, filios & vxores habentes, & omnino Christum prædicantes. Sic datur mystica veritas.

## CAPVT IV.

Commoneo autem vestrum consortes munimentum de redivibus Ecclesiæ quatuor partes fieri, & quarta pars exigatur ab Ecclesia, vnam partem Pontificum, fratribus dimidiam ad Ecclesias releuandas, dimidiam presbyteris & diaconibus cum omni clero, & peregrinis. Constituit hunc ordinem, vt si quis de clero vel presbyteris vniuersi loci, quod commune est, transiret de hoc mundo, si neminem de sua generositate



ANNO  
CHRISTI  
314.

de sua generositate haberet consortem ; quidquid paupertas eius haberet, conferret Ecclesiæ, & exinde quatuor partes fierent, sicut dictum est.

CAPVT V.

Constituit etiam voce clara Siluester Episcopus vr̄bis Romæ, vt nemo presbyter chrisma conficeret, dicens, quoniam Christus a chrismate vocabitur.

CAPVT VI.

Vt diaconi non esset plus, vel amplius per parochiarum examen, nisi duo, & diaconi<sup>f</sup> Cardinales vr̄bis Romæ septem: ita tamen, vt dalmaticis vteretur, & pallia lino-  
stima lauam eorum tegerent.

CAPVT VII.

Ita autem Siluester clara voce dicebat ad coepiscopos, vt a subdiacono vsque ad lectorem omnes subditi essent diacono Cardinali vr̄bis Romæ, in Ecclesia honorem representans tantum, Pontifici vero presbyteri, subdiaconi, diaconi, acolythi, exorcista lectori in omni loco representans obsequium, siue in publico, siue in gremio Ecclesiæ, tantum Pontifici.

CAPVT VIII.

Nullum autem subdiaconorum ad nuptias transire præcipimus, ne aliqua præ-

*Concil. Tom. 2.*

haberet consortem, quidquid paupertas eius haberet, conferret Ecclesiæ, & exinde quatuor partes fierent, sicut supra dictum est.

CAPVT V.

Constituit enim clara voce Siluester Episcopus vr̄bis Romæ, vt nemo presbyter chrisma conficeret, dicens, quoniam Christus a chrismate vocatur.

CAPVT VI.

Et diaconi non essent plus nec amplius per parochiarum examen, nisi duo, & diacones Cardinales vr̄bis Romæ septem.

CAPVT VII.

Ita tamen Siluester clara voce dicebat ad coepiscopos, subdiacono vsque ad lectorem omnes subditi essent diacono Cardinali vr̄bis Romæ, in Ecclesia representantes tantum. Pontifici vero presbyteri, diaconi, subdiacones, acolythi, exorcistas lectori in omni loco representantes obsequium, siue in publico, siue in gremio Ecclesiæ tantum Pontifici.

CAPVT VIII.

Nullum autem subdiaconorum ad nuptias transire præcipimus, ne aliquam præ-

V ij



uaricatione præsumpserit.

## CAPVT IX.

Nullus lector vel ostiarius vasa sacrata contingeret, nullus acolythus rem sacratam a presbytero iam alio porrigeret, nisi tantum supportaret, quod ei sacerdos imponet suo ore benedictum.

## CAPVT X.

Nullus etiam Episcoporum virginem sacratam maritali expeteret benedici, nisi eam probauerit septuaginta duorum annorum esse constitutam, ubi probabitur iudicium, pudicitia vero, ut in septuaginta duos annos, requirens verum Christum, pudicitia custodita, uncta vertice introducatur ad nuptias Christi, velamen capitis ferens, non cordis. Et subscripserunt supradicti Episcopi in istud, predicante Siluestro Episcopo vrbis Romæ. Et subscripsit autem & nouissimus Calpurnus præfectus vrbis. Subscripsit autem Augustus Constantinus, matre Helena Augusta. Tunc dedit orationem, sedens in eodem loco, & discesserunt.

uaricationem sumpserit.

## CAPVT IX.

Nullus lector vel ostiarius vasa sacrata contingerit, nullus acolythus rem sacratam a presbytero iam alio porrigeret, nisi tantum supportaret, quod ei sacerdos imponeret suo ore benedictum.

## CAPVT X.

Nullus etiam Episcoporum virginem sacratam maritali confortio expetierit benedicere, nisi eam probauerit septuaginta duorum annorum esse constitutam. Ibi probabitur iudici a pudicitia vera, aut in septuaginta annis requirens virum Christum, pudicitia custodita, uncta vertice introducatur ad nuptias Christi, velamen capitis ferens, non cordis. Et subscripserunt supradicti Episcopi in istud, predicante Siluestro Episcopo vrbis Romæ. Subscripsit autem & nouissimus Calpurnius præfectus vrbis. Subscripsit Augustus Constantinus cum matre Helena Augusta. Tunc dedit orationem, sedens in eodem loco, & discesserunt.

## ACTIO SECVNDA.

ALIA autem die venerunt omnes presbyteri vrbis Romæ, & diaconi omnes du-

ALIA autem die venerunt omnes presbyteri vrbis Romæ, & diacones & Episcopi



ANNO  
CHRISTI  
314

centi octoginta quatuor in  
thermas Domitianas, quæ  
nunc Traianas, & fedit fe-  
dem suam in eodem loco.  
Vbi autem fecit septem re-  
giones, & diuidit diaconi-  
bus. Erant autem diacones  
isti, Fabianus, Marcus, Li-  
uerius, Archidamus, Iu-  
lius. Ordinauit autem alios  
duos, Priscum & Theodo-  
rum, vniuersus sexus, pre-  
sbyteri, & diacones, & cle-  
rus hoc poposcerunt Silue-  
strum Episcopum, vt eos  
ordinaret. Ibi autem in  
thermas hos duos Priscum  
& Theodorum subordina-  
uit, non ordinauit aut con-  
secrauit eos, nisi in gremio  
basilicæ consecrauit, & præ-  
ter Synodi constituit.

CAPVT XI.

Vt nullus ex laica perso-  
na ad honorem acolythi vs-  
que ad episcopatum suble-  
uaretur, nisi prius fuisset le-  
ctor annis triginta. Deinde  
vna die exorcista, & postea  
caperet onus acolythi, &  
faceret in eodem ordine a-  
colythus annis decem, vt  
acciperet onus subdiaconi,  
& in subdiaconatu esset an-  
nis quinque, deinde ad dia-  
conatus honorem pertin-  
geret fixus, rogantibus tri-  
ginta presbyteris examen,  
vt esset diaconus Cardi-  
nalis, quia a prima sede e-

omnes ducenti octoginta  
quatuor, intra thermas Do-  
mitianas, quæ nunc Traia-  
nas, & fedit in sede sua in  
eodem loco. Ibi autem fe-  
cit septem regiones, & di-  
uisit diaconibus. Erant au-  
tem diacones isti, Fabianus,  
Marcus, Liberius, Archi-  
damus, Iulius. Ordinauit  
autem & alios duos, Prif-  
cum & Theodorum. Vni-  
uersus sexus presbyteri &  
diacones & clericus hoc po-  
poscerunt a Siluestro Epi-  
scopo, vt eos ordinaret. Ibi  
autem in thermis hos duos,  
Priscum & Theodorum  
subordinauit, non ordina-  
uit & consecrauit eos nisi in  
gremio basilicæ cōsecrauit,  
& præter Synodū cōstituit.

CAPVT XI.

Vt nullus ex laica persona  
ad honorem acolythus vs-  
que ad episcopatum suble-  
uaretur, nisi prius fuisset le-  
ctor annis triginta, deinde  
vno die exorcista, & postea  
caperet onus acolythi, & fa-  
ceret in eodem ordine aco-  
lythi annos decem, vt acci-  
peret onus subdiaconi, &  
in subdiaconatu esset annos  
quinque. Deinde ad diaco-  
natus honorem pertingeret  
fixus rogantibus triginta  
presbyteris examen, vt ef-  
set subdiaconus Cardinalis,  
quia a prima sede erat con-



rat constitutum, vt serui-  
ret annis septem. Hoc e-  
nim quod si quis desidera-  
retur ordinem presbyterii,  
ita exigeretur, vt in septem  
annos cuncto clero Roma-  
no priuaretur doctrinae,  
natiuitatis, generositatis, &  
consilio, non expetens praedam  
a quaquam opinione  
clara firma omnes presbyte-  
ri declararent & firmarent,  
& sic ad ordinem presby-  
terii accederent, & face-  
rent in eodem ordine an-  
nos tres. Et si exigit or-  
do, vel dispositio, vel cu-  
ra pietatis, aut sanctitatis,  
ad onus episcopatus acce-  
dere, vt omnis clerus pe-  
teret ordinari ex vno voto  
perenni. Quod ita gestum  
sit, & sermonibus Siluestri  
Episcopi nil opponebat, sed  
magis firmabant, prece.  
Dixit autem & hoc Silue-  
ster Episcopus vrbs Ro-  
mae: Audite sancti & coe-  
piscopi. Nemo abscon-  
dat, quod ei videtur iustitia  
obiurgare. Responderunt  
cum omnes Episcopi, & di-  
xerunt, clamantes vniuer-  
sis presbyteris clericisque:  
In te iustitia, & pietas a te  
non discedat, quoniam a  
nobis nihil iudicabitur, in  
opinionem dictorum tuo-  
rum, quoniam sapientia  
non est, nisi in patientia

stitutum, vt seruiret annos  
septem. Hoc enim quod si  
quis desideraret ordinem  
presbyteri, ita exigeretur  
vt in septem annis a cuncto  
clero Romano probaretur  
doctrinae, natiuitatis, gene-  
rositatis, & consilio non ex-  
petens praedam a quaquam  
opinione clara firmarent  
omnes presbyteri declara-  
rent & firmarent, & sic ad  
ordinem presbyterii acce-  
deret, & faceret in eodem  
ordine annos tres. Et si exi-  
gat ordo vel dispositio, vel  
cura pietatis aut sanctitatis,  
ad onus episcopatus acce-  
deret, vt omnis clerus pete-  
ret ordinare ex vno voto  
perenni, quod ita gestum  
sit, quod & sermonibus Sil-  
uestri Episcopi nil oppone-  
bat Synodus, sed magis fir-  
mabat prece. Dixit autem  
& hoc Siluester vrbs Ro-  
mae Episcopus: Audite fan-  
cti & coepiscopi. Nemo ab-  
condat quod ei videretur  
iustitia obiurgare. Respon-  
derunt omnes Episcopi, &  
dixerunt, clamantes cum  
vniuersis presbyteris cleri-  
cisque: Vincet iustitia, &  
pietatis a te non discedat.  
Quoniam a nobis nihil iudi-  
cabitur in opinione dicto-  
rum tuorum, quoniam sa-  
pientia non est, nisi in paci-  
entia fuerit constructa. Dixit



ANNO  
CHRISTI  
314.

fuerit constructa. Dixit autem Siluester Episcopus: Quoniã si sapientia non est, nisi in patientia, quidquid sermone fixero, vestro cyrographo confirmetur.

CAPVT XII.

Nemo enim det pœnitentiam, nisi quadraginta annorum petenti baptismum: omnibus enim prædicantes date, Matth. vltimo.

CAPVT XIII.

Nemo enim, nisi velamen cæleste acceperit, primum coniugii per manus sacerdotis ad clericatus honorem non accedat. Finctus est enim.

CAPVT XIV.

Testimonium clerici aduersus laicum nemo recipiat.

CAPVT XV.

Nemo enim clericum quemlibet in publico examinet, nisi in Ecclesia.

CAPVT XVI.

Nemo enim clericus vel diaconus, aut presbyter propter causam suam quamlibet intret in curia, quoniam omnis curia a cruore dicitur, & immolatio simulacrorum est. Quod si quis clericus in curia introierit, anathema suscipiat, nunquam rediens ad matrem Ecclesiam. A com-

autem Siluester Episcopus: Quoniam si sapientia non est, nisi in patientia, quidquid sermone fixero, vestro chirographo confirmetur.

CAPVT XII.

Nemo enim det pœnitentiam, nisi quadraginta annorum, petenti. Baptismum enim omnibus date.

CAPVT XIII.

Nemo enim nisi velamen cæleste acceperit primum coniugii per manus sacerdotis, ad clericatus honorem accedat. Testimonium clerici aduersus laicum non admitti. Finctus est enim.

CAPVT XIV.

Testimonium clerici aduersus laicum nemo recipiat.

CAPVT XV.

Nemo enim clericum quemlibet in publico examinet, nisi in Ecclesia.

CAPVT XVI.

Nemo enim clericus vel diaconus, aut presbyter propter causam suã quamlibet intret in curiam, quoniam omnis curia a cruore dicitur, & immolatio simulacrorum est. Quoniam si quis clericus in curiam introierit, anathema suscipiat, nunquam rediens ad matrem Ecclesiam. A commu-



munione autem non priuetur propter tempus turbidum.

## CAPVT XVII.

Nemo enim quemquam peccantem clericum cæde attingat, non presbyter, non diaconus, non Episcopus supra clericum vel feruitorem Ecclesiæ ad cædem perducatur. Sed si ita causa exigit clerici, triduo priuetur honore, vt poenitentes redeant ad matrem Ecclesiam.

## CAPVT XVIII.

Nemo enim diaconus aduersus presbyteros afferat crimen turpitudinis.

## CAPVT XIX.

Nemo enim presbyter a die onus presbyterii sumat coniugium, vt si quis neglecto exierit, duodecim annis eum dicimus priuari honore. Quod si quis hunc cyrographum præsentem & publica egerit dictum condemnatur in perpetuum.

## CAPVT XX.

Nemo enim<sup>h</sup> diiudicet primam sedem iustitiæ desiderant temperari, neque ab Augusto, neque ab omni clero, neque regibus, neque a populo iudex iudicabitur. Et subscripserunt ducenti octoginta quatuor Episcopi, & quadraginta

nione autem non priuetur propter tempus turbidum.

## CAPVT XVII.

Nemo enim quisquam peccantem clericum cæde attingat, non presbyter, non diaconus, non Episcopus supra clericum vel feruitorem Ecclesiæ ad cædem perducatur. Sed si ita causa exigit clerici, duo priuentur honore, vt poenitentes ad matrem Ecclesiam.

## CAPVT XVIII.

Nemo enim diaconus aduersus presbyterum offerat crimen turpitudinis.

## CAPVT XIX.

Nemo enim presbyter a die onus presbyterii sumat coniugium, vt & si neglecto egerit, decem annis eum dicimus priuari honore. Quod si quis contra hunc chirographum præsentem ac publice egerit dictum, condemnatur in perpetuum.

## CAPVT XX.

Nemo enim iudicabit primam sedem, quoniam omnes sedes a prima sede iustitiæ desiderant temperari. Neque ab Augusto, neque ab omni clero, neque a regibus, neque a populo iudex iudicabitur. Et subscripserunt ducenti octoginta quatuor

ANNO  
CAROLI  
344.



ANNO  
CHRISTI  
324.

quinque presbyteri, & tuor Episcopi, & quadra-  
quinque diaconi, & duo se- ginta quinque presbyteri,  
quentes, & Augustus Con- & quinque diacones, &  
stantinus, & mater eius He- duo sequentes, & Augustus  
lena. Et fixit Canonem Constantinus, & mater eius  
hunc Siluester Episcopus Helena. Et fixit Canonem  
vrbs Romæ, & omnibus hunc Siluester Episcopus in  
Episcopis asperfit. Actum vrbe Roma, & omnibus E-  
in Traianas thermas, tertio piscopis asperfit. Actuum in  
Kalendas Iunii, Donno Traianas thermas. 3. Kal. Iu-  
Constantino Augusto ter- nii, Donno Cōstantino Au-  
tio, & Prisco consule. gust. tertio, & Prisco cōsule.

N O T Æ.

\* *Concilium.* ] Postquam Imperator iam recens baptizatus Ec-  
clesiam donatiuis munificentissime locupletasset, hoc Concilium a  
Siluestro pontifice indictum impensis necessariis piissime promo- Auctor  
Concili  
quis.  
uit, eo fine, vt publicam quamdam gratiarum actionem pro acce-  
pto beneficio Deo ageret, & Christianæ pietatis encænia primus  
Christianus imperator summo omnium gaudio celebraret. Ducen- Numerus  
Episcopo-  
rum.  
ti octoginta sex Episcopi a Pontifice conuocati, ab Imperatore ve-  
hiculis adducti, & liberalissima annona sustentati, conuenerunt  
Romæ in thermis Traiani, quem locum Siluester Pontifex nuper in Locus  
Concili.  
titulum erexit, donisque plurimis Imperator exornauit. Accidit  
id, quod ex ultimo Capitulo constat, Crispo & Constantino III. Tempus.  
consulibus, anno Christi nati 324. qui est Siluestri 11. & Constanti-  
ni imperatoris 19. Vnde quod principio epilogi auctor incertus a-  
perte scribit, hanc Synodum post absolutam Nicænam, Romæ in  
præsentia Constantini imperatoris celebratam esse, surreptitium  
est: quod præallegato Canone vigesimo, Priscus loco Crispi colle- Causa & a-  
cta Conci-  
lii.  
ga Constantini ponitur, mendosum esse, ex Fastis constat. Causa  
conueniendi hæc erat, vt Ecclesia ab hæreticorum & hostium in-  
cursu libera seruaretur, & quæ ad disciplinam pacemque ecclesia-  
sticam conseruandam necessaria erant, instituerentur. Ideoque pri-  
mæ Actionis exordio Hippolytum diaconum Valentianæ hæresis  
sectatorem, Callistum Sabellii hæresi maculatum, & Victorinum  
Episcopum, qui receptos ab Ecclesia paschales cyclos redarguere  
præsumpisset, damnarunt. Quæ reliquis Canonibus constituta sunt,  
fere omnia ad hierarchicum clericorum ordinem spectant. Quod In causa A-  
rii decerni-  
tur Nicæ-  
num Con-  
cilium se-  
quentian-  
no cele-  
brandum.  
in hac Synodo de Ario & Ariana hæresi, quæ orientalem Ecclesiam  
annis aliquot ante lapsis plurimum exagitauit, nulla mentio fiat,  
ea de causa contigisse videtur, quod Pontifex & Imperator anno se-  
quente, maiore cum apparatu & numero Episcoporum totius or-  
bis, Concilium œcumenicum Nicææ in oriente communi consen-

Concil. Tom. 2.

X



su congregare decreuerint eo fine, vt vbi immortalis odio, & obstinata pertinacia ab Arianis digladiatum esset, ibi sanctorum Episcoporum cœtus sacrosancta Dei castra, ad impietatem eorum oppugnandam, firmiter collocarent. Vide Baronium anno 324. num. 123. & sequentibus.

<sup>b</sup> *Romanum.*] Patres ducenti octoginta quatuor in thermis Traiani, vbi Silvester titulum a Constantino præclare dotatum crexit, conuenisse, supra diximus. Roma, quæ iure caput mundi appellata est, qualis olim ac etiamnum nostro tempore vrbs sit, præclare admodum & erudite reuerend. D. Georgius Braunius in celeberrimo & insigni suo Theatro urbium his verbis declarat: *Roma domina & regina urbium, totiusque mundi caput, quem vere vniuersum fortissimorum virorum rebus præstantissime gestis suo imperio subegerat. De primis eius conditoribus tam multa & varia sententiæ, quam diuersi scriptores inueniuntur. Et infra. Communior fere omnium sententiæ est, Romam a Romulo dici. Et paulo post. Tota eius area ad tantam amplitudinem deuenit, vt in circuitu collegisse dicatur viginti millia passuum, quæ quinque fere Germanica milliaria efficiunt. Regionibus quatuordecim quondam diuidebatur. Portas suburbiorum & urbis in vniuersum numero viginti quatuor fuisse refert Plinius. Liuius autem ponit triginta septem. Turres imperio florente circum urbem erant 734. In quibus cum ita res ferret, præsidia collocabantur. Nunc turres solummodo 365. Porta viginti quinque supersunt, &c. Fertur de Constantio imperatore, quod is campum Martium cum admiratione inspiciens, sepulcrum Augusti Caesaris, tot arcibus atque marmoreis simulacris ornatum, forum Romanum, Iouis Tarpei delubra, thermas, porticus, amphitheatrum, Pantheon mira altitudine spatiosis molibus formatum, templum pacis, Pompeii theatrum, circum maximum, tot arcus triumphales, tot aqueductus, tot statuas per urbem ad ornatum positas, obstupuisse ac tandem dixisse: Naturam omnes vires in vnâ urbem effudisse. Tiberis fluius a septentrione urbem ingreditur, & ex latere meridionali Ostiam versus effluit. Sed quid plura de tanta tamque magnifica vrbe commemorem? in qua legitimus & ordinarius sancti Petri successor, maximus Ecclesiæ Catholice Pontifex residet, veneranda sanctorum Apostolorum & martyrum cernuntur reliquæ, vbi ius Christiano orbi præscribitur. In qua denique suauissima Musa vniuersam Græciam deserentes, sedem ac domicilium inuenerunt; vt verissime Cicero de natura deorum lib. 3. tradat: Quemadmodum nihil in vniuersa rerum natura mundo, sic in terra Roma nihil melius, nihil præstantius inueniri. Hæc de Roma Georgius Braunius beatæ Mariæ Vb. Colon. ad gradus decanus.*

Quot Concilia Romæ habita fuerint sub Siluestro.

<sup>c</sup> *Epilogus breuis sequentis Concilii Romani.*] Sunt qui auctoritate huius epilogi, duo Concilia post Nicænum Romæ sub Siluestro habita fuisse existiment: verum cum eadem, quæ a ducentis octoginta quatuor Patribus, Canonibus viginti, constituta sunt, ab auctore epilogi huius summam ac breuiter recensentur; & quod de Photinianis hac Synodo condemnatis scribitur, plane falsum sit, vt



ANNO  
CHRISTI  
324.

ex notis Sirmiensis Concilii infra patebit; non alicuius quarti, sed folius secundi Romæ sub Siluestro habiti res gestas ab auctore incerto hic descriptas contineri, verius esse putamus. Baronius anno 325. num. 201.

<sup>d</sup> *Photinum.* ] Cum ex Actis Sirmiensis Concilii Photinum longe post hæc tempora damnatum esse constet, huius epilogi initium, quod præfationis loco auctor incertus vero Romano Concilio II. præfixit, ad hæc vsque verba, *Et constituit vt presbyterum*, de mendacio suspectum redditur. Reliqua quæ subiunguntur, ab eodem germano Concilio Romano desumpta sunt, & in compendium redacta.

Photinus  
hæresiarcha  
damnatus  
quando.

<sup>e</sup> *Presbyteri autem Romani omnes & diaconi.* ] Quod hic soli Episcopi cum Siluestro Pontifice sedisse, presbyteri autem & diaconi cum reliquo vniuerso clero a tergo sedentium Episcoporum stetit narratur, id modestiæ causa tunc saltem contigisse dicendum est: cum alioqui, teste Hieronymo epistola 85. ad Euagrium, in Romana Ecclesia receptum fuerit, vt coram Episcopis diaconi tantum stent, presbyteri vero sedeant: nam prædicta epistola sic ait: *Ceterum etiam in Ecclesia Romæ presbyteri sedent, & stant diaconi. Licet paulatim increbrescentibus vitis, inter presbyteros absente Episcopo, sedere diaconum viderim.* Imo in Concilio Carthaginensi IV. sancito hac de re Canone trigesimo quarto statutum reperitur, vt *Episcopus in quolibet loco sedens, stare presbyterum non patiatur.*

Cap. 1.  
Confessus  
in Synodo  
qualis?

<sup>f</sup> *Diaconi Cardinales.* ] Qui hic appellantur diaconi Cardinales, quod, licet diuersis in locis agerent, vnius tamen ecclesiæ, eiusque primariæ cardine continerentur; iidem supra in vita Fabiani, diaconi regionarii nominantur, quod ex officio singuli binis regionibus vrbs præesse, pauperumque in eis degentium curam habere tenerentur. In quem finem quatuordecim vrbs regionibus septem Cardinales diaconi præfecti sunt, vt nimirum singulis binas regiones solcite curantibus, totius vrbs pauperibus bene prospectum foret. Vide quæ notauimus ad vitam Euaristi & Fabiani.

Cap. 6.  
Diaconi  
Cardinales  
& regionarii  
qui dicuntur.

<sup>g</sup> *A die onus presbyterii sumat coniugium.* ] Per coniugium hoc loco cum femina contubernium intellige. Vxorem ducere non tantum presbyteris, verum etiam subdiaconis hoc Concilio prohibitum est. Itaque mulieris suspectæ contubernium vitandum esse, sub pœna ea, quæ additur, serio demandatur.

Cap. 19.  
Contubernia  
illicita  
quæ.

<sup>h</sup> *Nemo enim diiudicet.* ] Hunc Canonem Nicolaus Romanus Pontifex citasse visus est, cum inter alia, quibus temeritatem Michaelis imperatoris redarguit, sic ait: *Consonat huic necessaria sententia sanctus Silvester & magni Constantini baptizator, dicens: Neque ab Augusto, neque ab omni clero, neque a populo index iudicabitur, haud dubium quin ecclesiasticus.*

Cap. 20.  
Priuilegiū  
sedis apo-  
stolicæ.

<sup>i</sup> *Constantino Augusto III. & Prisco consulibus.* ] Hic legendum esse, *Crispo & Constantino III. consulibus*, ipsi Facti consulares docent, *Concil. Tom. 2.*

Ordinarii,  
non suffe-  
ctis consu-



libus anni  
notaban-  
tur.

Textum hoc loco corruptum esse, mirum non est, cum vix vnum integrum versum inuenias, in quem mendum non irrepserit. Quod initio anni 324. Crispus a patre occisus fuerit, huius Synodi celebratæ temporis nihil obstat. Quibus enim consulibus annus aperiatur, & denominari incipiebat, iisdem etiam vsque ad finem denominari perseuerabat; licet defunctis, vel aliter se abdicantibus, alii in locum ipsorum successi fuissent.

ANNO  
CXXXIIII  
324.

